

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 3, 1849,
enthaltend fol. 74a–231b von Bd. 2 des Autographs (19 555-2) sowie einen Index

zu Bild Nr.

208

206

212

202

217

197

257

157

307

107

197

possunt Christiani tenere propter infestationem Aegyptiorum, quotienscumque enim Christiani terram sanctam ceperunt, semper repulsam ab Aegyptiis (142a) passi sunt, nec est possibile, Christianos in terra sancta manere, nisi prius capiant Aegyptum, ante quod omnis labor inanis et vacuus est. Aegypto habito in perpetuum nemo auderet de Oriente levare manum contra Jerusalem et terram sanctam. Hoc consilium dedit quidam prudentissimus Sarracenus nomine Carachuz, a Christianis captivatus et interrogatus, quomodo possent regnum hierosolymitanum capere et captum tenere. Respondit, quod per nullam viam nisi per Aegypti possessionem dicens consequenter, quod facile esset Christianis Aegyptum obtinere, quia, cum sint in mari potentes, possent Alexandriam et alias maritimis civitates capere et per Nilum adscendere cum classibus et devastare Nili civitates usque Cayrum, et clauso Nilo, ne mercimonia de Cairo in Alexandriam advehi possent, non posset Cyrus diutius se a ditione continere. Et tantum de illo.

Explicit tractatus octavus.

Praeambulum in tractatum nonum per mensem Novembrem,
necessarium pro intellectu sequentium.

Antequam ad inchoationem novi tractatus procedam, quaedam praemittenda censui. Notandum ergo, quod dum per mare versus terram sanctam pergerem, celeri cursu pertransivi regiones, provincias et maris magni insulas, nihil vel parum de his scribens in tractatu quarto mensis Junii totum ad hunc nonum tractatum mensis Novemboris reservavi, sperans, me in reditu per mare per easdem regiones reversurum. Sed aliter accidit, nam naves et galeae onerariae de mari Aegyptio in Libycum pelagum navigant, tendentes ad sinistram contra meridiem et occidentem, et de Libyco relabuntur in mare Creticum, et ita ad dextram dimittunt fretum Syriacum cum Cypro insula, et Pamphilia cum Cilicia, mare etiam Aegaeum et Rhodense cum Rhodo, per quae maria in prima mea peregrinatione ingressus et egressus sum, et in secunda ingressus per ea, sed non egressus, quia per mare Libycum et Punicum deveni in Creticum fretum. Ut ergo Ciliciam nobilem et Cyprum

Ende

Anfang